

liare Germanicum exaquat. Plures in hac urbe numerantur rabulæ, quam in tota Germania: tanta populis est frequentia, ut regio, quam urbi similior sit; ideo Franciscus I. Rex Carolo V. interroganti reposuit: Parisios non urbibus, sed provinciis ascensio.

Rotomagus (Rouen) habet campam totius Gallie maximam, quæ pendet in curvi dicta Butyræa; quia fuit adificata ex pecuniis pro Butyro tempore Ieremi collectis.

Avenio sita est ad Rhodanum in territorio fertilissimo, & amantissimo, ideo a nonnullis vocatur: *Delicia terrestris Paradisi*; Numerus septenarius in hac urbe clarescit; habet enim 7. Xenodochia, 7. Monasteria Virginum, 7. Parochias, 7. Palatia, 7. Collegia, 7. portas. VV. Art. disc. Font. 23. Ex. 9.

Gandavum Urbs Belgii, inter maximas orbis urbes numerari solet: illius circuitus tria milliaria Germanica continent, habet 35000. xdes, & 80000. civis armorum capaces. Forum ejus est præstantissimum, & capacissimum totius Europæ, juxta quod tormentum æneum vastæ molis, *Ruber diabolus* dictum, conspicitur. Numerat 26. Insulas, 92. pontes majores, 55. templa, 4. Moles aquarias, & centum, quæ vento aguntur.

Præterea celebris est hæc urbs ex natalibus Caroli V. Cesaris. Cum Dux Albanus dixisset Carolo, urbem Gandavensem ob rebellionem meritam esse, ut funditus everteretur, offensus immixta censura Cesar jussit illum in turrim ascendere, & tum his verbis allocutus est Duces: *Quantum corii putas requiri ad conficiendam talem Chirothecam: alludens ad Nomen Gand, quod gallice chirothecam sonat.*

Antverpia Urbs Magnificentissima, & olim Emporium totius Europæ celeberrimum erat; nam immensas Mercaturæ opes possidebat. Dicitur, negotiationem inter Angliam & hanc urbem annuatim ad 12. Milliones excurrere. Cives sunt ditissimi, ita, ut duobus illorum quondam Rex Hispaniæ sex auri miliones debeuerit. VV. Art. disc. font. 23. Ex. 9.

Colonia Agrippina tot numerat templa, quot annos dies. Fessa urbs Africæ septingenta templa complectitur. Roma olim habebat delubra 5400. nunc templa Divino cultui dicata ultra trecenta. Londini in Anglia reperitur basilicæ 120. Constantinopolis exornata est templis 5579. e quibus 444. usui Christiani-

torum concessa sunt. VV. art. disc. font. 65. ex. 1.

Ninive nec ante, nec postea habuit sibi parem in magnitudine: ambitus illius continebat 480. stadia, id est sexaginta milliâ passuum. Altitudo murorum erat pedum centum, latitudo tres curus sustinuit, turres habuit 150. singulas altitudinis centum pedum. Tempore Jonæ erat itineris trium dierum. C. Gen. c. 10. v. 12. A. lect. 2. n. 5. D. 4. 6.

Urbs Quintia, quæ Imperatorum Chinesium olim residentia erat, maxima est totius orientis: in ambitu continet centum milliaria, 140. portas, 12000. saxeos pontes, & mania tantæ latitudinis habuit, ut duodecim armati equites sine impedimento una equitare poterint. F. 3. l. 6. fol. 185. col. 1. D. 4. 6.

Roma tempore Aureliani Imperatoris in ambitu continuit 50. milliaria, mania habebat 32. portas: tot domus, & incolæ erant, ut cum Heliogabalus araneum texturas congerere jussisset, acerius iste 10000. pondo libraret. Tempora erant 490. in urbe. F. 1. l. 15. f. 233.

Urbs Locris in Italia 12. milliaria, Carthago in Africa 24. Constantinopolis in Thracia 22. continet. F. 1. l. 15. fol. 233. D. 4. 6.

Calnum in Ægypto dicitur quintuplo majorem populum numerare, quam Luxetia Parisiorum; hæc urbs olim ab hostibus oblecta & triduo occupata jam fuit, antequam incolæ ceterioris partis quidquam ea de re recitent. Urbs Thebe in Ægypto centum portas habebat, tempore belli per quamlibet portam decem armatorum milliâ educebantur. D. 4. 6. & D. 7. 98. Item C. in Jonæ. c. 3. v. 4. & C.

Animalia terrestria.

64. *Habent miras qualitates.*

Leo robor præcipuum habet in pectore, taurus in cornibus, ursus in pedibus anterioribus, equus in posterioribus, asinus in dorso, aper in dentibus, elephas in proboscide, erinaceus in aculeis.

Dentes Elephanti in tantam subinde excreverunt magnitudinem, ut loco positum servant in domiciliis siveque ex iis sepes, & pali in stabulis pecorum.

Sanguis Elephanti est frigidissimus, Bisontis autem tam calidus, ut ferrum venabuli in omnes partes strabile reddat, & intensissimo etiam frigore intra duas horas putrescat. Est autem Bisontis animal bove majus, gibbosum, fronte perquam lata & pilis moschum redolentibus.

Cor.

Cervus fel nonnunquam in cauda habet, in capite vivos nutrit vermes magnitudine eorum; qui in putridis carminibus inveniuntur. Febrim non sentit, sed illi medetur.

Crebrior vini potus calcitratum mule inhibet, equus auget.

Arietes in Sardinia pilos non lanam habent, & vocantur Musmones. Albertus vidit arietem quatuor cornua in capite, & duo in cruribus habentem. In provincia Scythica arietes cornibus omnino destituti sunt: in Insula Naxo habent fel duplex, in Ponto nullum.

Urbi in Myria sunt adeo venenati, ut solo afflatu canes perimant: Urbi Bolsanæ in Tyroli veneno carent, & incensam servant. VV. art. disc. font. 83. ex. 7.

Lupus & equus, item bumo & araneus miram habent ad invicem antipathiam. VV. Art. disc. font. 85. ex. 2. & 10.

Urba informes utero factus fundit, quos dein lingua format, vulneribus suis medetur herba, cui nomen est Philomelos. Serpens partu fœniculi cæcitatem repellit. Testudo visceribus serpentis pasta, cum venenum sentit, origano medicinam capis. Vulpes lacrymula penus sibi medetur. Formica novit explorare tempora serenitatis. Boves impendente pluvia ad præsepia se tenent, alias foris spectant. Ovis sub adventum hyemis inexplabilis ad escam. Hericis spinis clauditur contra insidias. Tygris raptozem catuli insectata speculo luditur, in quo suam faciem videt. Agniculus est multus in millibus versetur, cognoscit vocem parentis, & ad eam currit. Lupus si prior hominem viderit, vocem eripit, si prævisum se senserit, deponit ferociam. Leo Gallum maxime album veretur, æger simiam quarit, qua devorata convalescit. Ursus æger formicas devorat, cervus oleæ ramulos mandit: omnis fera ægra hausto canis sanguine curatur. & C. Gen. 1. v. 25.

Quomodo venerint ad Insulas.

Curiosa questio est, quomodo animalia terrestria post diluvium venerint ad insulas? Respondet S. Augustinus: Primo animalia ad insulas sicut non admodum a continenti distitas venisse nando. Secundo in Insulas autem distitas, & valde remotas, uti est Cuba Hispanica, Margarita, Dominica, Bermuda; & alia, testatur Josephus a Costa nullam vulpem, leonem, tygridem pervenisse; quia plurimum dierum iter natam-

do sine cibo conficere non possunt; hinc cum fundamento præsumendum est, quasdam Insulas, præsertim Americam continentem esse ullibi contiguam ac connexam; sic ad polum arcticum non omnis longitudo Americæ est explorata, multique putant, Europam latissimam esse terram, & ad Europam usque exporrigi; tertio alii existimant, eiusmodi animalia ab hominibus navigis esse translata, tum lucri, tum curiositatis gratia, cum in modum, quæ hodie animalia rara & nunquam visa ex distitis regionibus pro curiositate & admiratione in Europam transferuntur. Denique fieri potuit, ut hyemali tempore, quo maria & flumina glaciæ fuerunt obducta, animalia ab una regione in altam transierint. & C. in Gen. c. 8. v. 16.

ELEMENTUM AQUÆ.

Aqua.

65. *Cujus nature, ubicationis & effectus.*

EX natura sua humida & frigida est, nam corpora quæ sunt aquosiora, tanto etiam sunt frigidiora: quamvis autem fluida est, intense frigida esse non potest, cum frigore intenso partes aqueæ rigescant. Humida etiam est, quia madefacit, & suis terminis non continetur.

Aqua pura & simplex dari non potest, heterogenea & elementaria corporisula attrahat & sibi commisceat; sicut enim sanguis rotam animalis corpus, venasque & ita aqua totam terrarum molem, ejusque cavitates, meatus, & canales pervadit: ex ejusmodi subterraneis hydrophylicis deinde fontibus, & fluminibus pleurumque seaturiont.

Ad inveniendam sub terra latentem seaturiginem dantur variz observationes: 1. Attendendum, ubi vapor se attollat, & in tenuem nubeculam crispet, tremuloque motu aerem feriat. 2. si locus herbis viridantibus, & arboribus copiosa foliorum sætura luxurient, signum est subesse aquarum copiam; undemontes sylvis aperti venis aqueis divites esse solent, dum eorum loca sterilia aqua subter latentes sperem nullam præbeant. 3. ubi ranae libenter stabulantur, & supra ventrem ac pectus jacentes coaxant, signum est latere lympham. Nec minus 4. lapides rosicidi, & terræ vapore humefacti tale signum sunt. O. Serut. 4. Disq. 1. c. 12.

Q 2 Aqua

Aqua reliquis elementis, præsertim æri & terræ, æque mixtis permiscetur, atque ex iis quadam ramenta & minutia delibet, hocque tanto facilius, quo aqua fuerit calidior, & mixta laxiora.

Semper per se tota esse appetit, & si quidem dividatur, jungi cupit, & quo pars una labitur, aut labi cogitur, eodem mox & altera comitari vult, cum partium omnium sit eadem ratio.

Sicut omnes liquores, ita & aqua rotundam induit figuram, cum a circumfuso alio corpore æqualiter premitur, ut cernere est in aeris ipsius bullulis, quæ ex aqua erumpunt, ac in olei guttulis, quæ per aquam diffunduntur. O. Scrut. 4. Dissq. 1. c. 12. §. 2.

Aquæ consistentis superficies semper est spherica, licet ad sensum talis non semper advertatur; si enim cessante fluxu, & quiescente aqua superficies superior non esset spherica, & consequenter non omnes dista superficies partes æqualiter distarent a centro Mundi, sed una esset altior, altera humilior, non omnes partes sublati impedimentis fluenter ad loca decliviora, sed detinerentur in statu deliviora. In exiguis tamen vasis summa superficies ad sensum Horizonti potest censeri parallela.

Aqua fluens naturaliter non ascendit ad locum altiores sua origine, ut patet experientia. Unde & aqua non fluit naturaliter ab uno loco in aliud, nisi terminus a quo altior sit, quam terminus ad quem, siue libera, siue restricta fluat. Ut igitur aqua fluat, requirit aliquam declivitatem spatii, quod perfluit.

Flumina eodem cursu, quo aerem refrigerant, purgantur a terrestri sorde, adeoque non tantum falsedinem maris, a quo originem trahunt, sed & qualitates ex cavernosis vaporibus, quo transiunt, ipso cursu amittunt. Ibid. §. 3.

66. Est potus saluberrimus.

Galenus Medicorum princeps ait: Aqua est convenientissima omnibus hominibus tam sanis quam ægrotis, & ad vitam maxime necessaria. Item inquit: Est simplicium medicamentorum unum, ex quibus nostri corporis constitutio constata est.

Aqua vitam producit, propterea Syrii ter centum annos, & Brachmannes diutissime vixerunt, quia nihil præter aquam biberunt.

Vivaces facit sensus, serenam men-

tem, & limpida ingenium. Qua de causa solos abstemios ad studia aptos censuit Eubulus, & Plinius heroes virosque præclaros recenset, qui nihil præter aquam biberunt. Athenæus scribit, nostra sapientia vino hebescit, Demosthenes vero aliquid compositurus, ita jocari solebat: *Alii dicunt in aqua, Demosthenes vero scribit in aqua & plus olei, quam vini consumit.* Apollonius Tyaneus non nisi aquam bibit, dicere solitus, bibentes aquam nunquam veriginis morbo laborare, somnique esse perlevis.

Vetruvius ait, nulla res ita necessaria est velut aqua, omnia animalia, utrum frumento, carne, & arbutis priventur, possunt tueri vitam, sine aqua vero, nec corpus, nec ulla cibi virtus potest nasci, nec tueri, nec parari: omnibus plantis, animalibus & hominibus benefica est. Qua Thales aquam rerum omnium principium esse asseruit.

Ratio est, quia aqua summe humida, simplex, & subtilis facillime per venas totum corpus pervadit, illudque humectat, calorem temperat, sitim sedat, cibique ad singula membra vehiculum est.

Atque hæc est aquæ præcipua utilitas, siccitatis ablatio, & humidæ substantiæ restauratio. Ersti autem gravis sit famis affectio, tamen gravius affligit sitis; ipsa enim siccit, & arescit corpus, hinc videmus animalia siti laborantia vehementius sitiare, anhelare, & ad eam resistendum procurare. Hinc docent Medici, potum maxime congruere circa refectionis finem, idque ad tres usus, ut sitim sedet, ut calorem extinguat, ut alimeta elixet, & diducat.

Porro aquam non tantum restinguere sitim, sed etiam nutrire, multi Auctores docent. Primo quia aliqua animalia, sola aqua nutriuntur, ut cicada & pisces. Secundo quia famelicis, si bibant, non tantum sitim, sed etiam famem faciunt. Tertio quia herba, arbores, plantæ pluvii irrigata cresunt, frondent, & fructificant. Hinc Veteres in conviviis biberunt aquam calidam, quod hodieum Sinæ faciunt; ideo Calix vocatur a calido, quia calidam ex eo bibeant. C. Eccli. 29. v. 28.

Aqua Marina.

67. Cur salsa sit?

Maria omnia salsa esse, docet Aristoteles asserens, non alia ratione differre aquam marinam a fluviali, nisi quod illa

illa sit salsa, secus ista. Ratio autem huius falsedinis est, 1. ut mare sit piscium commune domicilium, & nutrimentum; constat enim maximos pisces extra aquam saltam haud diu vivere, hinc etiam illi ad ostia, ubi flumina dulcium aquarum in mare illabuntur, ad spatium, quousque sit dulces aquæ extendunt, recedunt. 2. ut sit aptior ferendis navibus, quia crassior, & etiam calidior est, nec tam facile congelatur, sicut aqua dulces. 3. ne perpetuo solis calore computrescat; falso enim putredinem arceat. VV. Art. Discurr. font. 75. ex. 4.

Deus fecit mare salsum, illudque quotidie conservat additione similiaum exhalationum, quæ e terra vi solis, & astrorum, educuntur, & in mare dimittuntur. Ridiculum enim est, quod quidam Philosophi excogitarunt, falsedinem maris provenire vi radiorum solis, quibus fundus maris adurit; adustione enim falsedinem nasci, prout patet in cinere. Absurdum hoc est, non enim sol urit, nisi per lumen, quod ultra quindecim cubitos in mare non penetrare testantur arimatores: fundus autem maris multis in locis quingentis cubitis, imo millenis profundus est. C. Gen. 1. v. 9. O. Scrut. 4. Dissq. 1. c. 12. §. 2. n. 17. &c.

Salsedo indita est mari a providissimo Deo, ne pisces mox intereant; dantur enim pisces in mari, quibus aqua salsa ita sunt necessaria, ut in dulcibus confestim tabescant, & extinguantur. O. Scrut. 1. c. 4.

Salsedo hæc dein purificatur, dum aquæ marinæ per subterraneos meatus in varias regiones, & denique in fontes, & flumina protruduntur, cum fere in modum, quo triticum per cribrum a scoria & paleis purgatur; aqua enim sic longo itinere, corporum heterogeneorum, per quæ transit, saporem, odorem induit, & iterum perdit, sique ad claritatem crystallinam reductur.

Rabbini Talmudicis superstitionibus deamentati fabulantur, mare ideo salsum esse; quia Deus intimo cordis dolore potentens deplorat, quod templum Hierosolymitanum devastari, & gentem Judæam dispergi permiserit, quotidie duas lacrymas fundit, easque in mare projicit. Nuge! Blasphemiam!

Quod autem aqua salsa aptior sit prædulci ad ferendas naves, eo quod sit crassior, prout supra dictum est, patet ab experientia; quippe navigia cum ad ea littora perveniunt, ubi dulcium aquarum flumina in mare exonerantur, aliquot

D. Claus Spicil. univers. Pars II.

cubicis in maris aquas immerguntur profundius.

Aquæ medicaræ.

68. Ad quid, & quomodo dignoscende.

Sicut homines facie, voce, & passionibus nunquam adeo simillimi sunt, ut sint indiscernibiles; ita nulla est aqua, quæ non specialem ab aliis quocumque aquis differentiam sortiatur; adeoque tot sunt differentium aquarum species, quot differentes terrestrium glebarum, mineralium, metallorum, succorumque species.

Præcipue vero quaternis mineralibus, eorumque qualitatibus aquæ permixtæ sunt: Sale, Nitro, Alumine, & Vitriolo. Aqua falguginosa, dum per mineras subterraneas fluit, & ex ambefis salis ramentis secum devehit, quanto salis acidiores, saporque acidus in iis magis exuberat, tanto majorem habent incidendi facultatem. Aquæ nitrosæ absterfiva vi pollent, unde & in attacku molles reddunt manus; ideo ab omnibus Medicis laxativa habentur, nisi aliarum aquarum mixtura differentes præsent effectus. Aquæ Aluminosæ vix quidquam herbarum in ripis patiuntur, aut gignunt, quod potentis siccitatis, quæ ei prædominatur, luculentissimum indicium est. Aquæ Vitriolatæ, & bituminosæ gustu, & olfactu maxime cognoscuntur; gustus enim linguam acedine quadam, olfactum vero potentissima methici percellunt.

Aquæ Medicaræ, uti sunt Acidulæ & Thermales, licet aliquas mixturarum sanarum qualitates prodant, difficile tamen in omnibus dignoscuntur.

Optime dignoscuntur aquarum mixturæ per coctionem, ad tertiam partem consumptionem, & residuæ aquæ adhuc pannu grossiori filtrationem, vel per evaporationem: deinde sedimentum extractum, & exsiccatum examinatur, & ex sapore, odore aliisque qualitatibus se prodet quid mineralium ibi delitescat.

Aquæ minerales falsæ exsiccat: medentur hydropticis, frigidis nervorum doloribus, podagræ, althimari, pituitæ scabiei, spasmus, vesicæ, & renum doloribus, valent adversus calculum, epilepsiam, aurium dolores, & splenis duritiam. Aquæ nitrosæ medicoriter adstringunt, profum capiti, thoraci, ventriculo pituitoso, hydropi, &c. Aquæ aluminosæ exsiccat valde, penetrant,

Q 3

ad.

adstringunt & corroborant; valent adversus morbos humidos & frigidos, adversus rictus, tormina, morbum articulare, sudores superfluos, ulcera vesicæ, tumores laxos, & visus obscuritatem. Aquæ Vitriolata & bituminosa calcasciunt, siccant, constringunt, conferunt podagricis, Nephriticis, oculis, morbis frigidis, carbunculis, & alio contipato, &c.

Fontanæ.

69. Salubres, & bonæ.

Sicut nullum elementum purum & simplex, ita nec aqua pura & simplex datur; quia fieri non potest quin ex subterraneis cuniculis, per quos longo itinere transit, terrenorum succorum, lapidumque proprietates atrahat. Præsertim cum aqua commune vehiculum sit omnium elementorum; in hoc enim velut in communi medio natæ solent, dum eorum partes minimæ ab aqua soluta hac illuc fluctuant.

Optima aqua colore, odore, & sapore caret, pellucidaque existit, & epota in ventre non moratur. Aphorismus Hippocraticus est, *aqua que cito calcescit, & cito refrigeratur, levissima est*. Si legumina in ea celeriter coquantur, si ex distillata nihil remaneat foecis, si gustu & odore nihil habeat insuave, si effusa frideat, & clara mundaque sit, si denique fonte deducta longius ex oriente, vel per sabulum fluat, pro salubri & bona habetur.

Aqua fontana ut optima sit, juxta Cardanum, tres debet habere conditiones: Prima est, ut ex sublimi loco, id est ex collibus, non assium sed moderate descendat: Secunda, ut fluat per terram & arenam, non per lapides & lutum. Tertia, ut fons respiciat Orientem. Communitè Medici laudant eam vel optimam, que visu est pellucida seu crystallina, nihil foecis in vitro relinquens: omnis saporis & odoris alieni expers: que cito incalcescit, & cito refrigeratur: que levissima est pondere, que pota facile transit, in qua legumina facile coquantur, quam denique bibentes homines molestam non sentiunt, & boni coloris permanent.

Ut de contentis aquæ certior quis fieri possit, conducit ejus evaporationem ad ignem instituere: si facile omnisevolat, & nihil in fundo remanet, optima censenda est: si tophus, limus, nitrum aut sal mineralè remanet, dubium est de

ejus bonitate. Vis aliud experimentum? ut fieri possit de duabus aquis, que sic subtilior in substantia, & ideo præstantior ad potum, intingatur pannus lineas bene manus in una, & alius similiter in alia: dein ambo panni intinditi suspendantur in sole, qui prius exsiccat, illa aqua subtilior censetur.

Aqua post ventos validos non sunt ad hægulum salubres; quia ex commotione vehementi cum terræ evaporationibus, & pulveribus commiscetur. Aquæ etiam diu sub cælo aperto stagnantes homini non conducunt; unde aquæ palustres, lacustres & stagnantes omnes censentur esse pessimæ, ac malignæ; tales enim, ex sensu Medicorum, ventriculum offendunt, viscera obstruunt, humores corrumpunt, & non raro febres, ac morbos excitant. O Scrut. 4. Disq. 1. c. 11. §. 2.

Patei, & fontes.

70. Unde originem trahant.

Quamquam diversæ sint hac in re auctorum opiniones, putantium fontium & fluminum originem esse aerem & vapores in subterraneis cavernis conclusos, atque frigore in aquam condensatos, vel esse montes, multasque cavitates aquis plenas, quæ vi caloris in vapores resoluta ascendant per poros terræ, ac sursum ascendentes in fontes erumpunt; in hoc tamen sistemate & aliis similibus impossibile est explicare, continuam, & ininterruptam, eumque abundantissimum fontium & fluminum fluxum, unde enim tanta aquarum ex vaporibus abundantia? quis credit?

Verior ergo, & scriptura conformior Philosophorum sententia est, fontium & fluminum originem mari derivari: ita Ecclesiastes: *Omnia flumina in mare, & mare non redundat: ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant.*

Modus, quo fontium fluxus ex mari deducitur, non est unicuique; interdum per subterraneos meatus affurgunt, interdum per compressionem aeris maris incumbentis elevantur, interdum per maris recessum seu æstum extolluntur, atque ita in subterraneos cuniculos intruduntur. Quod si continuo tractu ad locum exsilitiosis cuniculi subterranei non procurant, saltem ad loca cavernosa, & abdita recessacula, ceu hydrophylacia diriguntur, unde deinde per novos meatus ad varias terræ plagas distribuantur. Sicut in tur-

ribus

ribus hydraulicis aqua in amplissimo vase stagnans, continua pressione aquam per tubos plumbeos, & canales trudit, eamque in plateis & hortis e terra longe lateque protuberare, & exillire facit; ita mare, & suo pondere incumbens illi aer, aquam per subterraneos meatus trudit, ut in fontes & fluvios pro dispositione cavernarum, & canalium erumpat.

Neque dicas, in machinis id genus hydraulicis ex omni parte in tubis & vasibus requiri soliditatem, ne aqua per rimas, & foraminula dilabatur; hanc autem soliditatem in terra, quæ ex natura sua porosa, & spongiosa est, non inveniri; nam etsi per poros & fissuras aqua disfluat, tamen per abundantem nimis aquarum copiam, & earum successum continuo motu aëstem suppletur defectus, & natura, ut ut aqua dispendia patiat, per divitem affluxum damna refert. Deinde, si in tubis & canalibus hydraulicis fissura suppa, & lana obturantur, cur ingens ab omni latere aggesta gleba in cuniculis subterraneis non idem valere, & aquas in suo fluxu continere possit? O Scrut. 4. Disq. 1. c. 11. §. 1.

Atque ex his facile est judicare, quomodo fontes aliqui cum mari consentiant, dum æstu quotidiano effervescent, & de quo hunc congruo tempore remittunt. Item cur aquæ aliquæ dulces, aliæ salæ vel amare, limpide vel impuræ sint; has enim qualitates a locis subterraneis, quæ perlabantur, contrahunt. Ibid.

71. Habent diversas ac miras qualitates.

In una urbe Hispaniæ Valentia supra decem millia puteorum aquæ vivæ scaturiunt.

In Cyrenaica provincia fons est, qui media nocte fervet, mox sensim tepescit dein ad primam lucem friget, & quo sol magis attollitur, eo fit frigidior.

Non procul a Pangao monte fons est, cujus aqua in hyeme duplo est ponderosior, quam in æstate. In Eubæa duo sunt fontes, seu amnes, Cirus & Nilens, ex quorum altero bibentes, oves albae sunt, ex altero nigrae. W. art. d. font. 83. ex. 9.

In comitatu Katzenelenbogen haud procul Mogunria fons est, ab oppido, cui adjacet, Schvvalbach dictus, qui vini faporem refert: similis invenitur in agro Eugubensi Gallia, in Hispania apud Valentiosas, in Liguria, qui omnes in far vitu inebriant.

Fons Gaditanus delubro Herculis pro-

ximus, item in Hispani oppido, in Wallia, Sabaudia, & alibi alii inveniuntur fontes, qui æstum maris imitantur, & Oceani motibus consentiunt, in una sæpe de erumpunt, & evanesunt.

In montibus Pyrenæis fons *Esborbe* a monte dictus, ad cuius radices adjacet, circa solstitium æstivum, sive festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ ingenti cum impetu erumpit, circa solstitium autem hybernorum, sive festum Nativitatis Christi Domini se denno subducit. Similis fons haud procul Tridento æstate fluit, hyeme exarefcit. Sic etiam Balneum Pimperinum, vulgo Psefferbad, in Curienfi territorio prope Helvetios, tertia die Maji festo Inventionis S. Crucis aquis plenum est usque in diem decimum quartum Septembris, nempe festum Exaltationis S. Crucis, ubi disparet, & tota hyeme aqua destituitur.

In Regno Neapolitano haud procul ab urbe Lucania fons falsus effluit, ad quem siquis cum silentio & vultu converso accedat; aquam reperit claram: si vero voce garulla, aut oberbo dorso, aquam reperit turbidam, & lutosam. In Sicilia prope Syracusas fons fluit in aperto campo per se in aquæ fluxu parvus: quamprimò vero homines accedunt copiosius, fluit uberius. In Regno Bohemia ad Castellum Risenberg fons scaturit; ad quem si mulier immunda, ac menstruo laborans accedat, mox exsiccat, & aqua negat, hinc a feniculo continuo custoditur, qui omnem feminis accessum prohibere debet.

In Delphinatu haud procul ab urbe Gratiopolis fons parvus ebullit, ab accolis dictus *La fontaine qui brule*, qui crebro flammam vomit. In Illyria fons atrachus frigidus est, qui tamen lanam & pannos in æctos incendit, & comburit.

In Bohemia prope pagum *Vopake* lacus ad injecta quavis nitrum tumultuans & effervescentis non quiescit, donec injecta denuo ejiciantur. In Marchionatu Badensi lacus reperitur, qui ad quavis injecta tempestates, pluvias & tonitrua adducit. Soleat & *Acridula furiosa* haud procul ab *Egra* civitate, injecto lapide cum tumultu ebullire, ac fragorem instar tonitruum emittere.

Dantur fontes in Islandia, item in Hungaria prope oppidum Zenafium, qui injecta quæque in ferrum vel lapides convertunt.

In ditione civitatis Ulmenfis fons *Fæmix* dictus cum uberius manat, caritatem

annone prænuñtiat. Ejusmodi fontes Vaticidii inveniuntur plures in Gallia, in Haſtia, Miſinia & alibi.

Sunt præterea fontes perjuris exitioſi, & aliis mirabilibus innumeri celebres. O. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 11. §. 6. &c.

Lacus & Stagna.

72. *Mirabiles habent qualitates.*

EX Lacu & Anne Velino in præceſſis, præruptiſſe cautibus ſitio haud procul ab urbe Interamnia, catadupa in ſubjectam voragine cadit, vulgo *La caſcata di Terni*, per totam Italiam celeberrima: aqua ibi per altitudinem trecentorum cubitorum præcipitatur, & ſe fluvio Narni commiſcet, tanto fragore, ut nullus quantumvis intenſiſſima voce clamans ab altero prævehementia ſonitus audiat: ſpumans undarum repercuſſio tantum fragorem cauſat, ut ille uſque Interamniam, oppidum quinque milliariſibus diſtans audiatur. Aſpicientes vertigine obruantur.

Lacus Acronianum Rhenus, & Lemanus Rhodanus permeat, & tamen cum illius aquis non commiſcetur.

Lacus Chianus in regione Orientali Gangis: item lacus Vullinius in Hetruria nulla flumina recipiunt, & tamen flumina multa emittunt. Econtra mare Caſpium ſcopuloſa montium catena undique conſeſſum flumina multa recipit, nullum tamen emittit.

In Theſſalia duo ſunt amnes, ex quorum uno dum bibunt oves lanam acquirunt nigram, ex altero albam: cum vero ex utroque ſimul, lanam maculoſam ex albo & nigro colore. Lacus Aſpalotes in Palaſtina ter de die mutat colorem. Et ſons Samaritæ alterius coloribus quater in anno variatur, viridi, ſanguineo, turbido, & limpido.

In Sicilia intra Symethum amnem *Palici* ſtagnum eſt, ubi tabellæ juramenti veri natant, falſi merguntur: ſi falſo jurantes in eius aqua ſe lavant, moriuntur, econtra qui vera jurant, nulla parte læduntur.

In Peruvia haud procul ab urbe *Cuzca*, lacus eſt perhibetur, qui pridie dicit cinerum uſque ad ſabbatum ſanctum, adeoque per totam quadrageſimam omnis generis piſcibus abundat, reliquo vero tempore, nec unicuique ibi piſciculus reperitur.

Nilus Egypti flumen, ubi terram irrigat, quæ Alata dicitur, quinque leucis ab epiſtomio lacus per quatuordecim brachiorum altas rupes præcipitatur immenſum ſcopum fragore, & ſumo aqueo, qui emi-

nus exiſtimatur nebula: præcipitatus vero paulo poſt intra duas ingentes rupes abſorbetur, ut vix oculis attingi queat.

In Japonia lacus inveniuntur ex ferventiſſimis aquis, cum teterimo ſumo, quæ acutiſſimo ſuo ardore inſectorum tam hominum, quam animalium corpora ad oſſa uſque excidunt, & abſumunt. P. Cornelius Hazart meminit ſulphureæ ejuſmodi paludis in regione *Ugen*, quæ aquam tam penetrabili calore æſtuantem continet, ut carnes brevi ab oſſibus diſſolvat: eſt etiam aqua hæc tam virulento fetore imbuta, ut pecudes propius accedentes continuo ſuffocet & exanimet. Ipſæque etiam aves prætervolantes ex alto delabi faciunt. Ab impio tyranno Daſulama per multi Patres Miſſionarii, aliiſque pro Chriſti nomine in hanc charonticam mephitimi præcipitatus martyrii palmam conſecuti ſunt. O. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 11. §. 6. & 7.

Mare.

73. *Multa mirabilia complectitur.*

IN fundo maris pacifici herbe quindecim brachiorum naſcuntur, & emittunt ſuper aquas, adeo, ut interdum nares per viridantia præta vehi videntur.

Oriens oceanus ſilvis impletus eſt, & in mari, quod Luſitaniam alluit, gi-gnuntur glandiferæ quercus. VV. Art. diſc. font. 81. Ex. 9. Harum quercuum glandibus viſcuntur & fagiuntur Thy-ni, ſeu piſces marini, qui magna in copia falſi in Italiam vehuntur. O. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 12. §. 2. n. 15.

Admirando Dei conſilio globus terræqueus ita ordinatus eſt, ut quavis maxima ſint in eo maria, & aquarum afluus, mare tamen non redundet, & terminos ſibi conſtitutos non egrediatur: ratio eſt poſtea, quia tam ſuper terram per fluvios, quam infra terram per occultos meatus tantundem aquarum eſſundat; quantum per flumina conſulua recipit: certum enim eſt, quod maria omnia reciprocam inter ſe habeant communicationem.

Sicut terra, ita & fundus maris inæqualis eſt, montibus, vallibus, ſcopulis, aliſque exaſperatus. Sic in diverſis maribus dantur ſilvæ ſubmarinæ corallinæ, præta ſubmarina, aliæque. Profunditas etiam maris inæqualis eſt, interdum ad quindecim, alias ad triginta, & plura ſtadia. In Norvegia fundus eſt infernabilis. Generaliter quæ maria magis nigricant, profundiora, quæ vero albicant, minus profunda ſunt.

Ab

Ab eximiis Urinatoribus, Mancipiis Turcicis conſtat, qui in mari Bithræo unionibus, coralliſque inveniendis operam impenderunt, quod ſolaris lux ad certam tantum profunditatem mare penetret: ubi vero altiſſimum eſt mare, fundum eſſe omnino tenebroſum, id quod ſic, ut ait Kircherus, ob multiplitem ſuperficierum conſtipitationem.

Mare mortuum, a lentore ſic dictum ter de die colorem ſuum mutat: mane nigro, meridie cæruleo, veſperi rubeo colore inſeſtum conſpicitur.

Illud etiam mirabile, aquas marinas ſæpe ignis ſevitiam non tantum non potuiſſe extinguere, ſed etiam igni in medio ſui dominium permittere debuiſſe: ſic mare ipſum aliquando arſiſſe reſtat Livius: Anno Chriſti 726. æſtivo tempore vapor ut ex camino ignis viſus eſt ebullicare ad Inſulam Therſiam ex profundo maris per aliquot dies. Alarico quoque Italiaſi invadente, & S. Chryſoſtomo e ſede ſua pulſo ignis e celo lapſus, fluctus ipſos perinde ac regiones quaſdam marinas incendit.

Aliqui traſus maris magis, alii minus, præcipue autem Septentrionales piſcibus abundat, ita ut ex his venditis maximi accolis proventus contingant. O. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 12. §. 2.

Mirabiliſſimum eſt illud: ſicut in ſilvis & terræ recessibus dantur Fauni, Satyri, Centauri, aliæque monſtra; ita mare habet homines ſubmarinos, Tritones, Nymphas, Sirenes, aliæque marina animalia, canes, boves, lupos, ut ex variis auctoribus conſtat. Monſtra vero hujusmodi frequentiora inveniuntur in Mari Indico prope Inſulas Philippinas. O. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 12. §. 2.

Multa ſunt mirabilia, quaſi miracula maris, quæ Divini Creatoris magnificentiam aſſidue deprædicant. 1. Immenſa maris vaſtitaſ, longitudo, latitudo, & profunditas, ob quam vocatur abyſſus, quaſi profundum ſine fundo. 2. Mariæ tempeſtas & fluctus, qui aliquando quaſi ad ſydera videntur aſſurgere, & mox in profundum quaſi barathrum demergi. 3. Quod in elemento tam inſtabili ſtabilitas ſit inſule. 4. Quod illud ipſum tam tempeſtuoſum ſit navigabile, illudque navigis quaſi curribus ſe ſubſternat. 5. Quod in eo varia ſint beſtiarum genera, non tantum piſcium, ſed & canerorum, concharum, amphibiorum & inſectorum: piſcium ſpecies numerat Palacios centum quinquaginta tres. 6. Quod in mari ſint

omnium pecorum genera quoad formam & figuram terreſtribus ſimilia. 7. Quod in mari ſint ceti & balæni adeo grandes, ut quatuor elephantes adæquant. 8. Mirabilis eſt motus maris; nam ab oriente in occidentem fluit, ideo Hiſpani in India occidentalem uno menſe iter conſiciunt, quod redeuntibus quatuor ſere menſibus conſicere non poſſunt. 9. Mirabilis eſt æſtus maris, quo reciproca agitatione nunc ad litus accedit, nunc in ſe redit, ſubitque. 10. Mariſ purgatio, qua in plenilunio una vice in uno ſuperſtantiſſima corpora in litus ejiçit: cadavera etiam recentia mari injeçta ad vadium ſeruntur, & in oram expelluntur. 11. Mirum, quod mare locum ſitamque mutat, unde loca nonnulla, in quibus olim ſuit terra, nunc occupat mare, & vice verſa, ut Delos & Rhodus. 12. Mirabile maris litus, quod illud intra ælveum ſuum coeret, ut licet exſeſſet, non tamen limites litoris a Deo ſibi præſtitutos tranſiliat, &c. Quapropter quoties mare videntur, atollantur oculis ad Deum, ejuſque omnipotentiam ac bonitatem contemplantur, clamemus cum Paſtore: Quam magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti. G. Eccl. 43. v. 26.

Oceanus.

74. *Quid ſit? quæ notabilia habeat?*

UNUS eſt, ex quo tanquam fonte, alia maria oriuntur & dividuntur. Amplitudo ſua totum terræ globum circumfluat: prout tamen diverſas terras alluit, & in diverſos ſinus funditur, diverſa etiam ſortitur nomina: antiqui quatuor generales Oceani denominationes a quatuor terræ cardinalibus plagis uſurparunt, ab Oriente dixerunt Orientalem, ab Occidente Occidentalem, a Meridie Auſtralem, a Septentrione Borealem. Recentiores Hydrographi Oceano has generales attribuerunt denominationes: Inprimis quidquid aquarum inter Aſiam, Americam, & terram Auſtralem ſeu Magellanicam interſuſum eſt, mare Auſtrinum, item Pacificum, ab Hiſpanis *Mare del Zur* nominatur. Quod vero inter Americam, Europam, & Africam uſque ad lineam æquinoctialem protenditur Mare Septentrionale, ſive *Mare del Nord* appellatur.

Præter generales has appellationes, ſecundum littora & terras, quæ ſiunt, vocatur particulariter v.g. Oceanus Sarmaticus, Scythicus, Hyperboreus, Indicus, Gal-

Gallicus, Britannicus, Germanicus, Mare glaciæ, mortuum, rubrum &c.

Dum libero suo affluxu in certas terras oras illabitur, & coarctatur, solet vocari *sinus*, cuiusmodi maximus est, qui inter Europam, Africam, & Asiam ad paludem Mæoticam effluere proceditur, ac maris mediterraneæ nomen obtrinit. Alius est sinus ingens ad septentrionem, inter Pomeraniam, Daniam, Sueciam, Livoniam ac Prussiam protensus, qui nunc mare Balticum nuncupatur.

Præ ceteris mare Caspium five Hircanum hoc habet singulare, quod terrarum ambitu quidem undique concludatur, nec cum Oceano, aut alio mari communicare videatur. Credibile tamen est Oceanum Indicum per canalem subterraneanum cum eo conspirare, eo maxime argumento, quod innumeros recipiat fluvios, nullum tamen emittat, neque aquis augeri videatur, quod fieri non posset, nisi flumina undique recepta per occultos meatus in Oceanum exoneraret.

De mari Rubro dissensus est, cur rubrum vocetur, an a solis repercussis radiis, vel a colore ex fundo emergente, sed controversiam hanc diremit navigatio Lusitanorum; observarunt enim aquas ejus esse limpidas & omnis ruboris expertes, colore vero hunc representari ex rubris arenis, quibus maris illius fundus scater. Dicitur etiam alio nomine Mare Erithræum &c. O. Scrut. 4. Disq. 1. c. 12. §. 1.

Pisces.

75. In mari portentosæ magnitudinis.

Canes marini, Carcharias dicti, tam amplam habent rictum, ut facile hominem capere & deglutire queant. Quidam piscatores hæud procul Marfiliam canem marinum caperunt, qui cataphradum militem in ventre habebat. Monstra marina sunt longe majora terrestribus: Balæna exaquat quatuor jugerum spatium. Pritius ducentas ulnas longitudine habet: inventi sunt pisces, qui sexcentis pedibus oblongi, trecentis sexaginta lati fuer. Dionysius Geographus testatur visos esse pisces montibus æquales tam stratioto rictu, ut integras tritremes possent deglutire. Cadamollus in suo itineralio narrat de ingenti timore, quem sibi cæterisque navigantibus incusserat appropinquans monstrum marinum: caput illius videbatur esse ala-

tum, corpus tritremi primi ordinis magnitudine par erat. Anno 1520. Hispanica navis in medio cursu sistitur, & insolito motu concutitur: rite causam inquirentes remiges vident ingens monstrum marinum se carinæ applicasse, caudam clavo circum volbebat, caput extra aquas eferrebat, quod ingenti doliolo erat æquale &c. D. 4. 30. O. Scrut. 4. Disq. 1. c. 12. §. 6.

Nonnunquam mare vehementer exaltans in litus eiecit varia monstra, uti Nereides, faunos marinos, elephanthos, item pisces tantæ magnitudinis, ut caudæ extremitas sedecim ulnas contineret, dentes ad pedis mensuram erant grandes &c. D. 10. 99.

Navigans S. Machutes in Festo Paschalis incidit in Insulam, & rogantibus sociis ibi Missam celebravit. Cum pervenit ad orationem Dominicam insula se commovit (fuit enim cæcus) sed Sanctus rogavit Deum, & cæcus immobilis usque ad finem Missæ permansit. E. Innocentia. n. 7. O. Scrut. 4. Disq. 1. c. 12. §. 6. n. 12.

76. Monstrofi, & terribiles.

In mari Islandico Monstrum est, quod caput habet quadratum, oculos flammeos: si noctu conspicitur, oculi ita igniti apparent, ut totum caput, quod e mari exerit. W. art. disc. font. 25. Ex. 3.

Anno 1563. in urbe Ceuta eiecit, & Stengell. describit. *de Membr. c. 12.*
in littore inventus est cetus, in cujus lateribus plurimæ tritremes, tanquam coloribus expressæ cum suis remis & velis crenebantur. Erant tritremes velut ad pugnam dispositæ, & armatæ. W. lb.

Anno 1623. in Vistula, fluvio Poloniæ, captus est piscis, in cuius tergo expressum erat tormentum curule suis rotis nixum. In pinnis erant rotundi globi, & ad latera prælongæ hastæ. W. lb.

Cetorum mira, & terribilis est natura: 1. Magnitudo eorum in Indico mari est quaterinorum iugerum. 2. Ore & naribus dum in sublime natant, nimbos efflant. 3. Balæna cum tantæ mollis carnes, gaudet tamen luce & sole. 4. Balæne upote caculentis iter dirigit pisculis piscis, quem natura illi providit, & ducem dedit. 5. Cum sæctus ejus ob defectum aquæ terræ adhæret, aquam instar fluvii ore receptum in eos ejaculatur, ut natare, & periculo liberari possint. 6. Oculi balæne captis humani magnitudinem superant, & quatuor ulnis.

nis a se invicem distant. 7. Balæna nonnullæ in ventre abram continent. C. Eccl. 43. vers. 26.

In mari Norvagico dantur pisces inusitata magnitudinis, quorum oculi veluti faces luceant. Oculorum ambitus octo vel decem cubitos excedunt: pupilla vero unius cubiti rubrum & flammæum refert colorem, qui a longe in tenebrosis temporibus inter undas velut ignis accessus piscatoribus non sine terrore apparet.

Monstrum est in mari Islandico, ait Blekenius, Balæne speciem referens, quod dum caput ex marinis fluctibus exerit, homines quosque suo splendore ita perterret, ut sese examinari concidant. Corpus ejus nigrum est atrisque pennis oblitum, dumque noctu conspicitur, igneis oculis totum caput e mari exsertum illustrare solet. O. Scrut. 4. Disq. 1. c. 10. §. 3.

Classis sub Duce Georgio Britto, dum ex Luitania in Indiam petit, subito rostrata navis Roderici Perreix in medio cursu detenta hæsit. Obstupere nautæ, dumque in causam indagant, ingentem belluam vident, quæ geminis alis utrumque navigii latus complectens, caput dolii magnitudine supra aquas extulit. Ibd. c. 12. §. 6.

77. In innumerabili copia reperiuntur.

Perus
Berzini in
descript.
Lothar.
Jol. 139.

Dux Lotharingie ex piscatione carpio-num in Ducatu suo, tertio quovis anno sedecim francorum millia percipit. Cato Uticensis, hæres ex testamento Lucii scædus, ex ejus piscina pro quadraginta novem millibus pisces vendidit. Ex una piscatura halecum in Hollandia quotannis sesquimilliones confici testatur Klockius, neque minor quæstus fit ex captura astellorum, & salmonum. Idem in sola Hollandia numerat plus quam viginti hominum millia, qui in captura halecum, cæterarumque rerum ad piscationem & saluram pertinentium ministerio occupati sunt, quique eo labore se suasque familias sustentant. VV. art. disc. font. 36. Ex. 1.

Silesia tot habet piscinas & lacus piscosos, ut testentur Scriptores, unicum Nobilem ex piscinis quotannis lucrum facere viginti millium Joachimicorum: præsertim si piscinæ sint vicinæ fluvio Vistulæ, per quam pisces empti facile possunt avehi in Poloniam. VV. art. disc. font. 42. ex. 3.

Ad Stergium in Pomerania lacus est, qui tam hyberno, quam æstivo tempore singulis mensibus novas piscium species producit. VV. art. disc. font. 42. ex. 3.

Tibiscus in Hungaria adeo piscibus locuples est, ut vulgo dicatur duas fluminis partes esse aquam, & tertiam pisces: jam sæpe ibi milleni capiones unico floreno Rhenano empti sunt. Si Tibiscus exundat, jam sæpe tantam piscium multitudinem in litus eiecit, ut nisi vicini populi emptum accurrant, ingens factor fuerit caesus, & itinerantes ea loca tanquam peste infecta declinarint. VV. art. disc. font. 42. ex. 3.

Islandi panem conficiunt ex piscibus exsiccatiss, & in modum farinæ attritis. VV. art. disc. font. 48. ex. 10.

Halex, seu Haringus Regalis piscis est, sequiturque maximo in numero ducem suam. Si piscatoribus fors faveat, ut ducem illum capiant, plerumque tantam concludunt halecum copiam, ut retia ingentia capiendis non sufficiant: imo tanta copia nonnunquam subeunt ostium fluminis, orasque maris, ut retibus conclusi, sæpe quadraginta lastas impleant, & a pauperibus manu extrahi possint. VV. art. disc. font. 65. ex. 9.

Testatur Jonstonus, Haringos, seu Haleces tam magnis simul agminibus natæ, ut, si ventribus versus summum æquor oberfatis luceant, in aqua tantum de se splendorem emittant, ut non solum mare fulgurare videatur, sed & vicinus aer ita illuminetur, ut inde uberimæ piscaturæ indicium certissimum præbeat. Oculi etiam Halecis instar luminis noctu in mari lucent, ita ut fulgura & coruscationes per æquor hinc inde exierint. O. Scrut. 4. Disq. 1. c. 10. §. 3. n. 36.

Maria & sinus septentrionales admiranda piscium multitudine abundant: hinc Legatis Europæorum Principum in comitiis de potentia & divitiis Regum suorum gloriantibus, Legatus Danicæ subjunxisse dicitur: si cæteri Reges Europæ pro omnibus suis divitiis non nisi patinas compararent, Regem suum patrem fore, has omnes patinas piscibus implendi. O. Scrut. 4. Disq. 1. c. 12. §. 3.

78. Habent varias qualitates.

Pisces aliqui corio, alii cortice, alii spinis, alii squammis, alii cute, alii testudine reguntur. Extracti ex aquis propediem moriuntur,

tur, anguilla vero sex integros dies sine aqua vivit. Anguilla atritru scopulorum sine coitu generantur, exanimis vero non fluitant.

In mari rubro piscis, nomine cytharodus a cauda ad verticem habet lineas insit chordarum musicalium distentas. Echinus habet os in medio corpore. Loliginæ & saphæ volitant, & hæc loco sanguinis habet atramentum. Stella tantum est fervoris, ut omnia contractu adurat, omnemque concoquat cibum. Testudo in terra gignit, ova sua arena obruit, post sexaginta dies ad illa redit, & animata comperiens deducit ad pelagus.

In mari Sinensi piscis est, qui cum in hyeme piscis sit, in æstate fit avis. VV. art. disc. font. 83. ex. 8.

Lucii valde annosi, & ponderosi fiunt. Ille quem Fridericus II. Imp. in vivario posuit, ducentos sexaginta annos vixisse dicitur; inventus est enim & agnitus ex annuli aurei inscriptione: *Ego sum ille piscis huic stagno omnium primus impo-*

situs per Friderici manus. VV. art. disc. font. 17. Ex. 3.

Ferrariz piscina est, e qua pisces ad fontem certæ campanæ ad eum vocantur: passi iterum recedunt. VV. Art. disc. font. 23. Ex. 7.

In quadam novi orbis insula piscis est, qui, simul ac quis eum tetigerit, in brachio tangentis tantum dolorem causat, ut brachium usque ad humerum videatur ferventi oleo immersum: dolor augetur usque ad meridiem, imminuitur descendente sole, & occidente definit. VV. Art. disc. font. 27. Ex. 14.

In Imperio Sinico piscis est, nomine Hajul, qui cum capitur, vocem pueri lamentantis emittit. VV. Art. disc. font. 28. Ex. 14.

In mari Sinensi piscis est, qui alternis vicibus mutatur in avem; per totam æstatem avis crocei coloris volitat per montes, autumno fere absoluto mare petit, & fit piscis, quem hyberno tantum tempore capiunt, & est suavissimi saporis. VV. art. disc. font. 55. ex. 6. & seq. &c.

F I N I S.

INDEX

INDEX CONCIONATORIUS

253

In Dominicis, & festa totius anni.

Dominica I. Adventus.

De examine iudicii Divini.

1. Videbunt filium hominis venientem in nubis cum potestate magna, & Majestate. Luc. 21. Multi hominum vivunt libere in vitiis, ac si altera vita, & iudicium non esset, multi etiam dubitant, aut negant, quod est gravissimum, & perniciosissimum peccatum. Interrogat S. David: *Propter quod irrisit impius Deum?* Et respondet sibi ipse: *Dixit enim in corde suo non requirit.*

2. Grandis impietas contra Deum, contra fidem, contra oracula Scripturæ, & SS. Patrum! Ne dubita peccator! Deus requirit, & quidem triplici examine:

1. Requirit, *quis sis natura?* Nempe homo rationalis, ad Deum creatus: ut quid ergo instar bruti in terrena defici-

as, voluptatibus, divitiis per fas & nefas corradendis inhæstis, inter centenas cogitationes & curas, ne una quidem vice Dei memor? 2. Requirit, *quis sis professione?* Nempe Christianus ad legem Dei adstrictus: ut quid ergo perituris mundi rebus Deum postposuisti? Dei festa inanibus negotiis, & peccatis profanasti? in juramenta & blasphemias linguam solvisti? obsecris familiaritibus animam conspurcasti? ad furta & iniquas opes manum extendisti? tam liber & effrons in peccatis, ac si lex Dei ad te non attingeret? 3. Requirit, *quis sis officio?* An obligationibus status, ac vocationis satisfeceris? si Sacerdos es, an in oculis non potius lanam, quam eorum salutem quaesieris? si juvenis es, an continentiam & modestiam statui convenientem servaveris? si Paterfamilias es, an domesticis bono exemplo præluxeris, eosque a peccandi periculis coercueris? Si Pater es, an liberos fidei, & virtutum principii instruxeris? si Senex es, an dies ultimos a Divina clementia tibi indultos ad præparationem mortis impenderit? &c. Hæc & alia requirit a te Juxta! Quid mirum quod Sancti vel ad solum nomen iudicii contremuerint? quia Christiani severius judicabuntur, quam infideles, propter gratias, & obligationes majores! &c. Vide Barziam Sermon. 27. n. 3. & 7.

De caussis iudicii universalis.

2. Videbunt Filium hominis venientem in nubis. Possunt afferri rationes ex S. Thoma, cur præter particulare iudicium, etiam Universale habendam sit: 1. Ut boni, vel mali effectus humanorum operum toti mundo pateant v. g. lucrum animarum per bona exempla, aut ruina per scandala. 2. ut Hominibus iustis restitatur honor a mundo denegatus, & præsertim Christo Domino, qui promerit factorum fuit habitus, & in crucem actus: necesse est ut innocentia & gloria ejus coram toto mundo appareat. 3. ut simul cum anima etiam corpus, illa die resuscitatum, præmium, vel supplicium accipiat. 4. ut manifestetur Dei providentia, qua mundum gubernavit. O quantum mirabitur Mundus, cum viderit arcana Dei iudicia, eorumque causas, & revera fuisse bonum, quod malum esse, & vicissim malum fuisse, quod bonum arbitrabatur. Vide Tit. iudicia Dei, & Barz. serm. 31. §. 1.

De rigore, & terrore iudicii Divini.

3. Videbunt Filium hominis venientem. Sanctus Bonaventura imaginatur sibi iudicium ut bellum seu prælium, de hoc intelligens illa verba: *Accipiet armatum. Sap. 2. ram Zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum:* Et 1. describit propositum Divini Regis arma moventis contra peccatores: certum enim est fore iudicium districtum. 2. describit apparatus, quia cum omnibus Sanctis, cum Angelis instrumenta Passionis ferentibus, coram toto mundo apparebit. 3. Describit ipsum bellum, quia aperiet libros & conscientias atque peccatores convincet de suis flagitiis, eorumque effectibus. 4. Belli finem, id est, separationem bonorum ab impiis sententiam. Quid nobis agendum in hoc spectaculo? Faciemus nobis ex hoc bello remedium belli, semper præ oculis habendo, & timendo terribile iudicium! Exhorruit S. Joannes vita aquila minitante, qua in aere clamabat Vx, Vx, Vx, habi-